

131

129

135

125

140

120

180

080

230

030

Ende

Anfang

120

nequiret regere, exeuntibus ipsis orbitam, in parte coelum exustum
et in terris multa exhausta flumina, quam ob rem ab irato Jove
fulminatus est et in Nilum cadens suum illi tribuit nomen. Hanc
Graecorum fabulam Itali de Pado flumine recitare solent eumque
idecirco Eridanum vocant. Alii sunt, qui dicunt, Eridanum juvenem
Aegypti potentem decrevisse mutare sedes et navem adscendens
per Nilum ad mare descendit et Nilo suum nomen pro perpetuo
ejus memoratu reliquit; qui in Ligures veniens eis imperavit
et casu in Padum cecidit, etiam illi flumini suum nomen in ultimo
decessu dereliquit et ita ambo flumina ab uno viro sortita sunt idem
nomen diversis ab eventibus. Multo tempore Nilus dictus fuit
Aegyptus, et quia rex Aegypti, Nileus, fluvium divisit per terram
eumque utilem terrae effecit, nomen regis contraxit, dictusque est
Nilus. Sed et Aquila propter cursus velocitatem est nominatus.
Et Oceanus ab antiquis Aegyptiis dicebatur. Et Astopon, quasi
de tenebris ortus ex ignotis locis. Commune tamen nomen illius
sacri fluminis, quo nunc ab omnibus nuncupatur, dicitur Nilus,
cujus brachium contra terram sanctam tendens dicitur Syon, id
est turbidus. Nilus autem (117 a) dicitur a limo, quasi limum
trahens. Est enim fluvius turbidus, multum de limo secum ferens,
propter quam causam etiam Geon, Gen. II., dicitur, a Ge, quod
est terra, quam secum trahit, vel a terra, quam irrigat et
foecundat; nec debet scribi Gyon, sed Geon, sicut patet per
Isidem 13. Et in correctis textibus Bibliae nonnumquam in sacra
pagina nominatur flumen Aegypti, pro eo, quod similiter illam
terram utilem reddit, vel quia in Aegypto finitur et a mari ab-
sorbetur. Dicitur etiam fluvius paradisi, quia ipsum irrigat et de
ipso emanat. Et Jos. 13. et Jerem. 2. dicitur fluvius turbidus.
Sic ergo nomina omnia illa sumta sunt ab effectibus vel ab eventi-
bus, vel a principio aut a fine fluminis.

Origo sacri fluminis Nili adeo philosophis occulta erat, ut
eum nominarent Astopon i. e. de tenebris fluens, et dum cona-
rentur aliquid de ejus conscribere origine, ad fabulas se conver-
terunt, quia locorum inscitia errandi praeparat causam. Vnde
Dionysius dicit: Nili fontes locaque, ex quibus fluit, nullus ad
hoc tempus scriptor neque vidit neque audivit ab aliis, qui se
asserunt adspexisse, ex quo res ad opiniones et conjecturas per-
venit. Aegyptii sacerdotes Nijum ex Oceano profluere dicunt, nihil

